

D E S C R I P T I O O R B I S T E R R A R V M.



Niversum Terrarum orbem quotquot oculis in compendio subjicere student, aut plana eum, aut Sphærica figura spectandum exhibent. Nos in præsentiarum plana eum figura, qualis Tabularum esse solet, exhibemus. In hac vastam Terræ machinam, in Orientem, Occidentem, Septentrionem & Meridiem expansam, tribus magnis partibus distinctam vides, quarum prima est *Orbis Vetus*, quam nos incolimus: secunda *America*: tertia *Magellanica*, sive terra Australis & Incognita dicta, quia præter littora vix quicquam ejus nobis

cognitum. Designant eam in præsentī Tabula inscriptiones hæ: *Nova Guinea*, *Promontorium Terræ Australis*, *Psittacorum regio*, *Beach*. Rectè tamen adjeceris orbi terrarum partem quartam, *Arctoam* nempe, sive Borealem, polo subjectam. Quæ quidem portiones terræ, imò verò, ut plures tradidere, mundi punctus, materia est gloriæ nostræ, ac sedes. Hic honores gerimus, hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur humanum genus, hic instauramus bella etiam civilia, mutuisque cædibus laxiorem nobis facimus terram. Et ut publicos gentium furores transeam, hæc illa sedes est, in qua conterminos pellimus, furtoque vicini cespitem nostro solo affodimus, ut qui latissimè rura metatus fuerit, ultraque fines exegerit accolæ, quota terrarum parte gaudeat? vel cum ad mensuram avaritiæ suæ propagaverit, quam tandem ejus portionem defunctus obtineat? Ac Vetus quidem Orbis & ipse in tres potissimum partes divisus fuit, quarum nomina Europa, Asia & Africa. Quam quidem divisionem à numero filiorum Noachi habere creditur; ita quidem, ut Schemo Asiam, Chamo Africam, Iapheto Europam obtigisse statuant. Illud certius, partium istarum limites, pro imperiorum, quæ exorta sunt, varia ratione; postea etiam pro Geographorum libitu, auctos, diminutosque fuisse; ita, ut nonnullæ Chami Iaphetique partes Schemi posteris accesserint. Nec defuere, qui duas tantum Veteris Orbis partes constituere, Asiam atque Europam; Africam ad Europam referentes, tanquam partem Hispaniæ aliquando annexam, jam verò scissis utrinque Calpe & Abyla, montibus (ita crediderunt) freto Gaditano divulsam. Alii in quatuor partes distribuerunt, Europam, Asiam, Ægyptum & Africam. Nonnulli diviso orbe in Europam, Asiam & Africam, Asiæ Ægyptum tribuerunt. Novissimi tamen sinum Arabicum terminum inter Asiam & Africam ponentes, Ægyptum Africæ assignaverunt.

Europa.
Asia.
Africa.

America, quæ ob immensam suam amplitudinem Novus Orbis dicitur, eas terras continet, quæ è regione Europæ atque Africæ versus Occidentem sitæ sunt. Vtrum antiquissimis illa temporibus nota fuerit Europæis, incertum. Probationes, quæ ex Platonis Timæo de insula Atlantide adferuntur, ex Diodoro Siculo lib. 5. de Phænicibus extra columnas Herculis navigantibus; ex libello de Mundo, sive Aristotelis ille sit, sive Theophrasti, quo præter Europam, Africam & Asiam traduntur Insulæ adhuc esse magnæ, denique ex Seneca in Medea, minoris mihi momenti esse videntur, quam ut rem tantam conficiant. Sed has accuratius in descriptione particulari Americæ examinabimus.

America.

De Magellanica, cum etiam nunc nobis incognita jaceat, nec constet, continens una, an plures in insulas dissecta sit, parum habemus, quod in medium proferamus, præter brevem nominis expositionem. Dicitur enim Terra Australis, quia nobis ultima Austrum versus sita est. Eadem Terra incognita, quia nemo illam penitus ingressus est. Denique Magellanica, quia Magellano versus Austrum naviganti primùm conspecta. Eandem alii Antarcticam vocant, utpote Arctoïis mundi partibus oppositam. Referuntur ad hanc vastæ illæ regiones, quæ Polo Australi subjectæ, longè lateque extenduntur per tres Zonas, Frigidam, Temperatam, & Torridam, commendabiles non tantum (ita Bertius noster) prædicatione Petri Ferdinandi de Quir Hispani, qui tractum illum magna parte ipse lustravit: sed etiam cœli solique constitutione, terrarumque amplitudine: æquant enim Europam & Africam simul sumtas.

Magellanica.

Ad Arctoam sive Borealem mundi partem referri possunt 1. regio subpolaris incognita. 2. Groenlandia. 3. Spitsbergia, sive *Nieuland*. 4. Islandia, quæ nunc subjecta est regi Daniæ & Norwegiæ. 5. Nova Zemla, cum mari Hyperboreo, & fretis duobus, Nassovico, sive *Waigats* & *Davis*, quorum illo Belgæ, hoc Angli in Indiam compendiosiore via penetrare, quamvis irritò conatu, aggressi sunt.

A

Hunc



D E S C R I P T I O

Hunc verò Terrarum orbem, in mundi medio velut in centro positum, non terra sola, sed & aquæ, mariaque constituunt. Totum autem mare, terras quaquaversum ambiens, magnisque
Oceanus. mundi hujus partibus infusum, aut circumfusum, uno nomine *Oceanus* appellatur. Qui postea nominibus, ut locis, differens, in varia maria ac sinus distribuitur. Ac primò quidem à quatuor mundi plagis diversas appellationes accipit, ab Oriente Eous dictus, ab Occidente Occiduus, à Meridie Australis sive Notius, à Septentrionibus Septentrionalis. Deinde, pro diversitate regionum, littorumque, quibus affunditur, innumera trahit vocabula. Ac ut à Septentrione Orientem versus progrediar, occurrit primo mare Sarmaticum, inter Lappiam & flumen Obium; mox Scythicum, quæ Scythiam alluit, utrumque Hyperboreum, & Cronium, & Concretum sive Glaciale, ac Pigrum dictum. Sequuntur mox ad Orientem, Mare Sericum, Chinesse, & pelagus Hippadis, vulgò Archipelagus S. Lazari. Inde à Meridie Oceanus Indicus, cujus partes sunt Gangeticus, vulgò nunc Bengalenfis sinus; Persicum mare, Arabicum, & ad Insulam Madagascar, Asperum. Superato promontorio Bonæ Spei occurrit Oceanus Æthiopicus, inde Atlanticus ad Hispaniæ usque promontorium Artabrum, vulgò *Cabo de Roca*. Hunc excipit Gallicus, qui qua parte Cantabriam Hispaniæ regionem alluit, Cantabricus vocatur, qua parte Aquitaniam, Aquitanicus. Mox Britannicus est inter Britanniam & Galliam; inter Hiberniam & Britanniam Hibernicus, & supra Scotiam, quæ olim Caledonia, Caledonius. Ultra verò Britanniam ad Cimbros usque & Iutiam Germanicus Oceanus Germaniæ littora lambit. Atque hæc veterum Maris partibus indita vocabula sunt. Cæterum, cum proximis seculis latius quaquaversum navigatum sit, etiam in Occidentales Novi orbis tractus, factum est, ut nova maris facies navigantibus occasionem præbuerit, in quatuor partes Oceanum omnem dividendi. Quicquid enim aquarum inter Asiam, Americam & Magellanicam interfusum est, Hispani *Mar del Zur*, id est Austrinum, & alio nomine Pacificum vocant, à fluctuum placiditate. Quod verò inter Americam, Europam & Africam ad usque lineam Æquinoctialem portenditur mare, *Mar del Nort*, id est Septentrionale. At inter eandem lineam, Austrum versus, Americam, Africam & Magellanicam, *Mar d' Ethiopia*, hoc est Æthiopicum: Deniq; inter Africam, Asiam, atque Australem, *Mar d' India*, hoc est Indicum. Quam quidem distinctionem ex præsentī Tabula videre est.

Sinus Maris.

Præter Oceanum, ejusque partes jam dictas, spectantur ibidem ingentes Maris Sinus, gremiis terrarum abditi: Nempe, Sinus Codanus, Tacito, mare Suevicum, vulgò nunc, Mare Balticum, & Germanico vocabulo *die Ostsee*; interjectum Pomeraniam inter, Daniam, Sueciam, Livoniam ac Prussiam. Secundus, Mare Mediterraneum, quod inter Europam, Asiam atque Africam ad paludem usque Mæotin longo tractu excurrit, Latinis olim mare Internum dictum. Tertius, Persicus, Arabiam à Persia dividens. Quartus, Arabicus, Africam ab Arabia determinans, in sacris literis appellatus Mare Rubrum, hodie *Mare Rosso*, aut *Mar di Mecca*, ab urbe, quæ Mahometi natales præbuit. Mare Caspium sive Hircanum, hodie *Mar de Sala*, veteres inter Sinus numerabant, arbitrati mare hoc in Oceanum Scythicum se exonerare. Verum Herodotus, Aristoteles, & Diodorus rectius illud mare per se esse crediderunt, nec ad modum Sinus Oceano recipi. Quintus, est Sinus Mexicanus. Sextus, Vermilius, in America uterque.

Periplus oræ maritimæ Veteris Orbis sic se habet. A Freto Waigats usque ad promontorium Candenos, Russia est, sive Sarmatia Europæa. Inde ad promontoriū Norwegiæ maximè Septentrionale, Finmarchia. Vnde ad Fretum Sonticum sive Balthicum, Norwegia. A Freto Balthico usque ad Albis fluminis ostium, est Chersonesus Cimbrica, sive Dania. Ab Albi ad Rhæni ostia littus Germanicum. Hinc ad Bajonam littus Gallicum, variis nominibus, Flandricum, Normannicum, Britannicum, Santonicum, Aquitanicum. A Bajona ad promontorium Celticum, ora est Cantabrica; Inde, Portugallica, post quam sequitur Bætica, sive Andaluza. A Gadibus usque ad Promontorium *Capo de Verde*, est Africa. Inde ad Promontorium *Serra Lionna*, Guinea & Nigritarum ora. Sequitur hanc Congo, & Angola, & ad caput Bonæ Spei Zanzibar. Postea littus Monomotapæ; à quo ad promontorium usque Guardafu juxta Sinum Arabicum est littus Mozambicæ. Hinc sequuntur littora Arabiæ, Persiæ, Indiæ, & ad Orientalem Oceanum littus Sinæ. Vnde per Fretum Anjan reditur ad mare Hyperboreum, & Fretum Nassovicum, sive Waigats.

Freta Oceani maximè nobilia sunt duo, *Gaditanum*, & *Magellanicum*, illud veteri etiam, hoc nostro ævo decantatum. His adde Fretum *Anjan*, non magno trajectu Americam ab Asia determinans, & nuper Anno 1615. repertum Fretum *Le Maire*, quo brevior via in Pacificum mare itum fuit, navigationis istius Duce Iacobo le Maire. Fretum *Hudsonis*, & quod *Davis* vocant, in parte Americæ Septentrionali, cum pervia esse nondum constet, incertum an Fretis, an Sinibus annumeranda.

De Terræ ambitu, ejus longitudine ac latitudine, per Zonas quinque distinctione, nihil attinget dicere, cum cramben hanc toties recoxerint Geographi: uti nec de Terræ ac Maris commodis, cum hæc operosè exequi, sit res laudatissimas, & longo tot seculorum usu probatas humano



humano generi commendare. Verùm horum loco quæstiones aliquot Geographicas subungere libet:

Quæritur I. An Insulæ fuerint ante diluvium, an verò post diluvium demum extiterint. Quæ de re amplectenda videtur sententia Wilhelmi Camdeni doctissimi Geographi, Angli, qui statuit omninò Insulas antè diluvium fuisse, sed etiam quasdam post diluvium primum exortas fuisse, factò hic illic, tempestatum vi, terrarum divortio. Et ante diluvium quidè insulas fuisse hoc argumento probat, quia ad ornatum mundi Insulæ pertineant. *Sparsæ, inquit, in aquis terra non minus ad ornatum pertinent mundi, quam diffusi per terram lacus.*

II. Quomodo post diluvium animalia in Insulas, & quidem ab hominibus incultas pervernerint. Respondet Augustinus lib. de Civitat. Dei 16. cap. 7. *Possunt quidem credi ad insulas natando transisse, sed proximas. Sunt autem quadam tam longè posite à continentibus terris, ut ad eas nulla videatur natare potuisse bestiarum. Quod si homines eas captas secum adduxerunt, & eo modo, ubi habitabant, earum genera instituerunt, venandi studio fieri potuisse incredibile non est. Quamvis jussu Dei, sive permissu, etiam opera Angelorum negandum non sit potuisse transferri. Si vero è terra exorta sunt secundum originem primam, quando dixit Deus: Producat terra animam vivam: multò clarius apparet, non tam reparandorum animalium causa, quam figurandarum viarum gentium propter Ecclesiæ Sacramentum in arca fuisse omnia genera, si in insulis, quò transire non possent, animalia multa terra produxit.* In Insulis Fortunatis, & in his, quæ nostra ætate sunt inventæ, multa animalium genera, quæ inter nos sunt frequentissima, omnino nulla erāt: itaque importata sunt, quemadmodum in stirpium generibus quotidie usu venit, ut semen aut surculus aliquis ab aliis ad alias gentes transferatur.

III. Quid propriè Insula sit. Strabo lib. 1. Geogr. cap. 1. dicit totam terram esse Insulam, quia totam terram mare circumfluat, sed ista nimis laxa est vocabuli usurpatio. Rectius Insulam definias, partem terræ, quam mare undique cingit, ita ut ex ea nusquam pateat abitus, nec ad eam aditus, nisi per mare. Atque hoc modo *ἡ νῆσος* insula dicitur terra in mari sita: minus principaliter autem Insula etiam ea pars terræ appellatur, quam vel lacus, vel fluvius, vel etiam duo flumina, aut diversa ejusdem fluvii brachia cingunt, quomodo *Insulam Batavorum* vocamus terræ tractum inter Rhenum & Vahalim.

IV. Quanto temporis intervallo opus sit ei, qui pedestri itinere velit totum globum terrenum circumire, si nempe peditem illum non impedirent aquæ, montes & solitudines. Respondetur, si viator singulis tantum diebus conficiat 4. miliaria germanica, posse eum spatio annorum trium, & dierum 260. totum terrenum globum circumire. Ambitus siquidem terræ miliariorum est germ. 5400. Hæc dividantur per 4. & provenient dies 1350. qui si dividantur per 365. provenient anni tres & dies 260.

V. An Zona torrida & frigida sint inhabitabiles. Resp. Ita fabulantur Poëtæ, & crediderunt Aristoteles, Cicero, Macrobius, aliique. at experientia & navigatione Lusitanorum, Hispanorum, Belgarum satis constat, sub Æquatore, hoc est, medio Zonæ torridæ, plurimos passim populos habitare. Quanquam enim tractus iste torridus credi possit, minusque ad habitandum idoneus, si Solis cursum, radiosque perpendiculariter in hæc loca incidentes spectes: cum tamen vi ejusdem Solis magna ibidem attollatur vaporum copia, ros decidat copiosior, dies cum noctibus pares faciant horas, ingens quoque aquarum copia aërem temperet, imbres decidant crebri, ad habitandum multis in locis temperatus satis & accommodus est, & variorum fructuum ac frugum feracissimus. Zonæ quoq; frigida nonnullis locis sunt habitabiles, quod in Australioribus Zonæ Borealis partibus experientia compertum est. Nam quicquid sit de frigore, & calore, credendum est, Naturam, quæ regiones calore ac frigore distinxit, homines quoq; & cetera animalia ad locorum patientiam generasse, præsertim cum videamus & Lusitanos & nostrates tandem assuevisse ferre intemperiem, quam vocant Zonæ torridæ, cum multi hoc tempore sub Æquatore degant.

VI. Cur tractum terræ ab Occasu in Ortum Cosmographi longitudinem appellant, à Septentrione verò in Austrum latitudinem; cum pari intervallo distent in Sphæra Oriens ab Occidente, & Septentrio ab Austro. Respondeo, rationem haberi non terræ simpliciter, sed quatenus habitabilis est & cognita. Ideoque Ptolomæus videns terram habitabilem magis porrigi ab Occasu in Ortum, quam à Septentrione in Austrum, appellat terræ tractum ab Occasu in Ortum longitudinem, à Septentrione in Austrum latitudinem. Dari etiam hæc potest causa ex eodem Ptolomæo, quod motus Planetarum ab Occasu in Ortum longior est, quam à Septentrione in Austrum. Hic enim includitur intra duos Tropicos tantum, quorum distantia continet gradus 47. ille verò complectitur gradus 360.

VII. Quis sit terminus longitudinis & latitudinis terræ. Resp. Veteres Geographi terminum longitudinis constituerunt in metropoli regionis Sinarum ad extremam Indiam, quæ metropolis & ipsa Sina appellata, ab Insulis Fortunatis abest gradibus 180. sive miliaribus germ. 2700. At à recentibus Geographis ultra terminum à Ptolomæo constitutum, 60. gradus itur.

D E S C R I P T I O

Nam Scythia extra Imaum montem porrigitur ad gradus 60. versus Orientem, ubi est amplissimum regnum Cathaji, Lusitanis notum. Quo modo terra secundum longitudinem ad Ortum patebit 240. gradibus, h. e. miliarib. 3600. Versus Occasum verò ultra Insulas Fortunatas patet usq; ad extremam Americae oram; ita ut in longitudinem orbis terrarum cognitus sit ad gradus 340. & desint tantum 20. gradus ad explorandum totum orbem terrarum ab Ortum versus Occasum. Quod ad latitudinem attinet, ejus terminum veteres ponebant in Insula Thyle, quæ utrum sit dicenda Islandia, an Scetlandia controversum. A recentioribus altius itum, primò ad grad. 71. usque ad insulam Norwegiæ Hyello, paulo post à Willuceo ad grad. 73. Inde à G. Barensonio Belga ad grad. 81. ita ut 9. tantum gradus restent ad Septentrionalis plagæ totam pervestigationem. Versus Meridiem terra Veteribus vix ultra grad. 17. fuit cognita, usque ad Prassum promontorium, ubi hodie Mosambique. Nostris usque ad grad. 45. ad caput Bonæ spei: mox usque ad grad. 53. ad Fretum usque Magellanicum: & nuper usq; ad grad. 57. ad promontorium sive Cabo de Hoorn.

D E N A V I G A T I O N I B V S tum Veterum, tum recentiorum.



Um autem Terrarum orbem non terra solum sed & vastum mare constituat, non alienum fuerit ab hoc loco laudes celebrare Navigationum, cum Veterum, tum recentiorum: in quarum notitiam quotidie peritissimorum Navarchorum industria, stupentes velut ac attoniti deducimur. Priscos enim illos mortales non contentos suis sedibus, quæ fuisse & adiisse per maria terras remotissimas docet sacra Scriptura, commemorans navigationes in Indiam non solum Arabum, uti videre est in Iobi historia, sed & regum tum Iudæ tum Israelis, Salomonis, Iehosaphati, Ochozia, & aliorum. Nec desunt, qui tum in Indiam Occidentalem navigatum putant, quum lib. 2. Paralip. cap. 3. v. 7. mentio fiat *auri Parvaim*. Sic enim ibi de Salomone, *Et texit domum lapide precioso ad gloriam, & aurum aurum Parvaim*. Fit & mentio auri Ophiriani, quod idem putant cum auro Peruviano, non inamœna, ut censent, neque ingrata literarum metathesi. Iob. cap. 28. 16. *Non æstimabitur cum auro Ophir, cum Onyche precioso & Sapphiro*. Iesaiæ 13. 2. *Preciosum faciam hominem præ Obrizo, & hominem præ massa auri Ophir*. Sed quid hac de re sentiendum sit, alibi disputandum. Testatur & antiquorum hac in re diligentiam Strabo, notans libro primo, Homerum etiam ætate navigatum in Indiam. Scribit Plinius lib. 2. nat. histor. cap. 67. suo tempore totum Occidentem à Gadibus columnisque Herculis, Galliarum circuitu, navigatum: Septentrionalem autem Oceanum majori ex parte auspiciis Augusti usque ad Cimbrorum promontorium; inde ad Scythicam plagam immensum mare fuisse partim visum, partim fama cognitum: ab Ortum vero ex Indico Mari partem totam in Caspium vergentem Macedonum armis innotuisse, Seleuco & Antiocho regnantibus. Circa Caspium quoque multa Oceani littora fuisse explorata: & sic totum fere Septentrionem hinc illinc versus Occasum & Ortum patuisse. Addit porro, alio latere Gadium ab eodem Occidente magnam meridiani Sinus portionem ambitu Mauritaniae, suo tempore navigari solere: & majorem ejus partem, uti & Orientis victoriis Alexandri Magni fuisse lustratam, usque in Arabicum sinum: Hannonem Carthaginensem circumvectum à Gadibus ad finem Arabiæ: contra, Eudoxum Cyzicenum, teste Cornelio Nepote, quum Lathyrum regem fugeret, Arabico sinu egressum Gades usque fuisse perductum: Cælium quoque Antipatrum refert scribere, vidisse se, qui cum mercibus iter fecisset maritimum ex Hispania in Æthiopiam, ac eundem Nepotem tradere, Q. Metello Celeri, Galliae proconsuli Indos à Suevorum rege dono datos, qui ex patria commercii causa navigantes tempestatibus in Germaniam, (per Oceanum puta Orientalem & Septentrionalem) fuerant abrepti.

Hodie in omnes fere terrarum oras abit audax Iapeti genus, non horrens mare turgidum, aut infames scopulos. Veneti, qui primi palmam Europæis eripuerunt, paulo supra ætatem nostram, mare Adriaticum ingressi, de vectique per mediterraneum, Alexandriam usque, & hinc terrarum aliquod spatium emensi, per sinum Arabicum ad Indorum populos proficisci cæperunt. At cum hæc via ob Sultani Ægyptii potentiam infestior mercantibus reddatur, Aleppo celeberrimum emporium & Syriæ metropolim, petunt: hinc terrestri cccxxx. miliarium itinere Bassoram: inde miliarib. cc. Armuzam, Ormus hodie ei nomen, nobilissimum Persiæ emporium: ubi consensu navibus per sinum Persicum porrò in quasvis Indiæ regiones vehuntur. Atque hoc quidem iter, non solum compendiosius est, maritimo Lusitanorum in Indiam circumnavigata Africa omni itinere, sed & delectabilius, occurrentibus passim infinitis antiquarum urbium, veterumque locorum, quæ priscis historiis scriptisque nobilitata sunt, monumentis; præter novos indies populos, novosque populorum ritus. Adde & commodius, offerente se quo-

tidie

Navigaciones Veterum versus Occidentem.

Septentrionem.

Meridiem.

Orientem.

Navigaciones Venetorum per Mediterraneam in Orientem.

O R B I S T E R R A R V M.

tidie novo, quò corpora reficiantur, cibo potuque: quin & tutius, nullo molestiam faceffente; cum contra maritimum longius sit ob terrarum flexus, tædiofus insuper, ob corruptum longo fitu commeatum, & ob tempestates periculosius.

Hoc tamen in Indiam & regna Sinarum iter mox moliti sunt Lusitani, circumnavigata Africa, lustratisque, quæ Equatori, Tropicisque subjectæ, terrarum partibus, littoribus, insulis. Quos *Lusitanorum per Meridionalia in Orientem.* successu temporis secuti sunt Angli, alique populi, & anno 1595. mense Octobri instructa mercatorum quorundam auspiciis classe, Batavi: qui Iavam insulam circumvecti, potius quid gerendum ibi, quam quid gestum reversi docuerunt; armis, quibus gens illa nimium adsuevit, quam mercibus expediendis promtiores.

Versus Occidentem primus vastum istud mare Atlanticum trajicere ausus fuit Christophorus Columbus, qui, oblata variis Principibus ad novas quærendum terras opera, & à plerisque, qui rem nimis difficilem, & nullius fructus arbitrabantur, repulsus; tandem à Castiliæ regibus Ferdinando & Isabella impetravit, ut aliquot navium classe instructus, tantæ rei periculum faceret. Is itaque anno 1492. cccc xcii. Insulas in Sinu Americano positas, Cubam, Hispaniolam, aliasque invenit. Post quem Americus Vesputius Florentinus, anno 1497. etiam Terram Occidentis firmam, continentemque detexit, nomenque ei à nomine suo imposuit. Hinc cum inter Lusitanos & Castellanos pomeria suorum Principum pro virili promovere nitentes, dissidium esset ortum, ne alii aliis essent impedimento, novus ille orbis auctoritate Alexandri vi. Pontificis & aliorum, in duas partes est distributus: scriptis legibus & conditionibus, ut quicquid instituta ab Atlantici maris insulis, quæ Hesperides solent dici, navigatione Orientem versus reperiretur, Lusitanorum esset; quicquid ad Occidentem, Castellanis cederet; & sic horum beneficio pernotuit America; illorum Orientis pleraque & Insulæ Moluccæ. Postea Ferdinandus Magellanus anno 1519. auspiciis Caroli v. ad quærendum Insulas alia via dimissus ex Hispania, in Australiora mundi ad gradum latitudinis Meridionalis 54. delatus, inde conversa ad Occidentem Solem classe, primus Fretum inter Americam & Australe mundilatus permenfus, quod à nomine suo Magellanicum vocavit, in Moluccas insulas pervenit, ibique prælio cum Barbaris commisso cecidit, sociis in patriam juxta Asiæ Africæque littora revectis, totoque terrarum orbe circumnavigato. Et illam quidem post illos laudem proximis annis consecuti Franciscus Dracius, Thomas Candischius, Angli; Oliverius Nort, Jacobus le Maire, Eremita, Belgæ; quorum duò posteriores in itinere periere, navibus domum reversis.

Nec invento hinc Oriente, inde Occidente, quievit humana curiositas, alias quoque vias & itinera nova Septentrionem versus scrutata fuit. Casparus Cortesius ad Septentrionem, anno 1500. dum Fretum, qua transeat, quærit, fluvium invenit, ad 60. altitudinis gradum: & domum reversus, quum anno sequente, prosperioris successus spe, profectus eodem esset, periit. Eandem post viam non dispari fato tentavit ejus frater Michael Cortesius. Sebastianus Gabottus Venetus, auspiciis Henrici vii. Angliæ regis anno 1507. iter ad Moluccas & Sinarum terras quæsit per Septentrionem: sed delecto Bacalauium tractu, æquorque permenfus usque ad 67. altitudinis gradum, in Angliam reverti fuit coactus occurrante glacie, quæ angustiora maris infederat. Iohannes Verafanus anno 1524. nomine Francisci Galliarum regis, idem animo versans ad caput Britannorum exscendens in terram à Barbaris discerptus est. Frustra hac quoque itum à Sebastiano Gomezio Hispano. Successerunt illis Angli; & inter eos primus Hugo Willoughbaus, vir equestris ordinis: qui anno 1553. repertis aliquot ad gradum 72. terris, frigore aliisque incommodis extinctus fuit. Eandem viam insistentis triennio post Stephanus Borrovæus Anglus, insulas aperuit Colgojam, Novam Zemlam, aliasque, cum frigor, glacie, tempestatibus, aliisque calamitatum procellis assidue depugnans. Hos ex eadem gente secuti sunt Martinus Forbisherius, Arcturus Petræus, Carolus Iachmannus & Ioannes Davisius, qui Borealiora Americæ patefecit, uti & oras Groenlandiæ. Tandem & Batavi, Zelandique anno 1594. auspiciis Fœderatorum Ordinum & Illustrissimi Comitum Mauriti, Septentrionale hoc iter versus Scytharum Sinarumque regna susceperunt, mense Junio, ipso festo Pentecostes. Quum ad Novam Zemlam, quæ aliorum navigationibus aliqua jam innotuerat, pervenissent, naves Amsterdameses, quarum cura Gulielmo Barëdsonio mandata erat, altius versus Polum instituto cursu, Novæ Zemlæ littora ad 76. gradum explorarunt: reliquæ, Enchusana una, altera Zelandia, quibus præerat Iohannes Hugonis F. Linschotanus, qui septennium jam apud Indos fuerat moratus, Fretum Vaigats transeuntes in altum latumque pelagus sunt delatæ, ad confinia usque Obi, nobilissimi Tartariæ fluvii, & ut nonnullorum erat conjectura, ad Promontorium ferè Tabinum. Sed quum harum Argonautæ sufficere putarent Oceanum Tartaricum deprehensum satis lustratumque ad futuram navigationem, illæ verò, Amsterdameses puta naves, glacie impeditæ ulterius ire nequirent, tertio mense reversi sunt incolumes. Anno deinde sequenti septem in eundem finem adornatæ fuerunt naves, quinque in Hollandia, duæ in Zelandia, quæ superatis denuo angustis Vaigats, à Russis didicerunt, Fretum certo anni tempore transiri posse, & quintidui ab eo itinere, versus Boream Pro-

Navigaciones Septentrionales.

Batavorum.

D E S C R I P T I O

Promontorium esse, & post hoc ingens & spaciosum mare. Sed cum dissentientibus studiis Oceani Tartarici incerta averfarentur, Hollandiam repetentes, Mosam quarto mense subierunt. Anno denique 1596. duabus navibus, Mercatorum sumptibus, eadem tentata est via, quæ ad gradum 80. minut. 11. in littora inciderunt vasta & ampla, quæ Groenlandiæ putabantur ob viriditatem. Nam licet terra ibi ob poli viciniam frigidior esse credi possit, gramen nihilominus, herbasque producit sponte, & cervos aliaque animalia nutrit: cum contrà in Nova Zemla gradu 76. & ab Arctico versus Æquinoctialem Solisque viam remotius, omnia areant, campis passim canentibus, urfis, vulpibus, aliisque carnivoris feris omnia inibi infestantibus. Quinquagesimo postquam solverant die ad gradum 75. evecti, & mox communibus suffragiis disjuncti, quidam gradum 80. emensi, ob continuas tempestates Colam, Lappiæ oppidum salva navi remearunt, quidam post gravissimas calamitates, quas à feris, frigore, glacie, perpetua nocte, fame perpeffi erant, relictà inter glaciales montes navi, navarcho Gulielmo Barendsonio ibidem defuncto, cum duobus lenunculis aut scaphis emensi æquor quadringentorum miliarium, Colam quoque appulerunt, ubi repertis navigationis fociis conscensa navi in Hollandiam rediere anno 1597.

Ex quibus omnibus videre est, quaquaversum navigiis iri posse. Nihil dicam de navigationibus Europæorum meditarreneis. Ludus est ire in Asiam, Africam, & aliò. Ad Hesperidum insulas delati Orientem (nam in Occidentem Americanos adire tritius putatur) petimus, nunc Eorum versus caput Bonæ Spei prætervecti; nunc Fretum Magellanicum, obversis ad Africam prorsus, transvecti. Quum verò brevius quæreretur in Orientem iter, tentatus sæpè Septentrio, tum Eorum versus, à Cortesio, Gabotto, Verasano, Gomezio, Willoughbæo, Forhischerio, Davisio: tum Boream versus per angustias Vaigats, aut potius supra summa Novæ Zemlæ littora. Alterutra sane necesse est vià delatos fuisse tempestatibus in Germaniã Indos, anno Urbis cōditæ 1000. quos à Suevorum rege dono datos Q. Cæcilio Metello, Galliæ Proconsuli, notat Plinius. Angustias enim illas, non semper à glacie obfessas esse & obturatas iterata navigatione nostrates didicerunt, tum ex annuis inter Russos & Tartaros hæc angustias transeuntes, commercii, constat. Sed tutissimum altiore plenioreque mari decurrere, & Septentrionaliora Novæ Zemlæ littora circumnavigare ad gradum 82. aut circiter. Non obstabunt tenebræ, nam uti noctes ibi longæ, sic longi etiam & ex multis compacti diebus dies. Non glacies: quæ in alto & vasto mari rarior, & prorsus ex proximis littoribus adventitia: non frigus, quod eo loci deprehensum mitius, quam gradu 76. quodque intenditur vel augetur ob glaciei copiam. Non vada, non Syrtes, omnia enim alta & profunda deprehenderunt Navarchi demissa in fundum bolide. Non venti, qui, ut alibi, sic hic nunc adversi, nunc ferentes, licet vehementiores hic generentur ob vaporum copiam.

*De Navibus
& Magnete.*

Porro Navigationes qualescunq; conficimus beneficio navium, quarum, ut veteres eas habuerunt, appellationes exstant cum apud Nonium, Festum & alios, tum apud Agellium lib. 10. noct. Attic. c. 25. Plenius autem de iis Lilius Gregorius Gyraldus de Navigiis. Ne vero vela vento turgida naves ab instituto cursu averterent, aut aquarum fluxus alio abiret, opus fuit acu marinæ, navis moderatrice; cujus inventor avorum nostrorum memoria fuit Flavius Melfius Neapolitanus, vir sanè vel ob hoc unum beneficium omni immortalitate dignissimus. Temperatur autem alterum acus marinæ punctum Magnete eum in finem, ut veram Arctici poli stationem, tanquam indice, perpetuo monstret. Sic enim affricum sequace quadam virtute semper eo se convertit, quocunque loco, die noctuque, cœlo & sereno & turbido, sive stellæ appareant, sive non. Qua verò hoc fiat ratione, ingenio humano incognitum. Nam Magneticos sub Arctico polo montes imaginentur, & attractionem inde fieri contendunt, quibus cerebrum alibi, quam in capite. Si acus hoc modo temperata partes orbis Magnete abundantes respiceret, potius apud nos in oppositam Arctico plagam se converteret; cum Magnetis copia major in Hispania & Ilva vicina Corsicæ Insula, quam in Septentrionalibus locis; quumque præstantissimus & efficacissimus Magnes reperiatur in Æthiopia, maximè commendari solitus, qui ad cæruleum colorem inclinat, qualis ibi in Zimiri arenosa regione. Arcanæ potius & ineffabili hoc tribuendum proprietati & sympathiæ, quæ Magneti cum plaga Septentrionali & Polo Arctico. Sed tempus est, ut ad distinctas Orbis terrarum partes progrediamur.

DESCRIP-